

auctor istorum? De nostris somniis quid habemus dicere? tu de merso me, et equo ad ripam? ego de Mario cum fascibus laureatis me in suum deduci jubente monumentum? Omnium somniorum, Quinte, una ratio est: quae, per deos immortales! videamus, ne nostra superstitione et depravatione superetur. Quem enim tu Marium visum a me putas? Speciem, credo, ejus, et imaginem, ut Democrito videtur. Unde profectam imaginem? A corporibus enim solidis, et a certis figuris vult fluere imagines. Quod igitur Marii corpus erat? Ex eo, inquit, quod fuerat. Plena sunt imaginum omnia. Ista igitur me imago Marii in campum Atinatem persequabatur. Nulla enim species cogitari potest, nisi pulsu imaginum. Quid? Ergo istae imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut simul atque velimus, occurrant? etiamne earum rerum, quae nullae sunt? Quae est enim forma tam invisitata, tam nulla, quam non sibi ipse animus possit effingere? ut, quae nunquam vidimus, ea tamen informata habeamus, oppidorum situs, hominum figuras. Num igitur, quum aut muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito, imago illarum me aliqua pellit? Omnia igitur, quae volumus, nota nobis esse possunt: nihil est enim, de quo cogitare nequeamus. Nullae ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus, nec omnino fluunt ullae: nec cognovi quemquam, qui, majore auctoritate, nihil diceret.

Div. II, 66. Animorum est ea vis, eaque natura, ut vigeant vigilantes, nullo adventitio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi quum sustinentur membris et sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt. Quum autem haec subtracta sunt, desertusque est animus languore corporis: tum agitur ipse per sese. Itaque in eo et formae versantur, et actiones; et multa audiri, multa dici videntur. Haec scilicet in imbecillo, remissoque animo, multa omnibus modis confusa et variata versantur, maximeque reliquiae earum rerum moventur in animis, et agitantur,